



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 40. Botskaius Transylvaniæ Princeps veneno necatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

millium florenorum munere Constanti-  
 nopolin, vicissim vero Sultanus suum  
 cum pretiosissimis muneribus Pragam  
 decernat, quod idem singulis trienniis  
 fiat. XI. Vaccia Christianis, Strigo-  
 nium Turcis relinquatur, cunctis ad  
 pristinum statum revocatis, nec ulla  
 vi Religioni illata. Firmatis hisce ar-  
 ticulis ingens passim lætitia exstitit, ac  
 Christiani quidem die decima tertia No-  
 vembris reboantibus belli tormentis Am-  
 brosianum Hymnum Comorræ decan-  
 tabant, Sultanus quoque per Buden-  
 sem Bassam de confecta pace certior fa-  
 ctus, cum ingenti Janifferorum multitu-  
 dine augustius Templum ingressus Ma-  
 hometi suo solemnes gratias rependit.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1606.

§. XL.

*Botskaius Transylvaniæ Princeps ve-  
 neno necatus.*

**H**aud diu Stephanus Botskaius Tran-  
 sylvaniæ Principatu, quem ex pa-  
 cis præscripto jure fiduciario possede-  
 rat, quiete potiebatur; Cantajus enim  
 ejus Cancellarius Principi suo, quem  
 ad prandium invitaverat, venenum pro-  
 pinabat, quo hausto Botskaius perfidum  
 hunc Ministrum quantocius in vin-  
 cula conjectum capitis supplicio affici  
 jussit, subrogato Joanne Janusio, &  
 Can-

*Han Panon.  
 hoc ann.*

Sæc. XVII. Cancellarii prædiis eidem attributis, ce  
A. C. 1606. jus tamen sententiæ executio [primu  
 die decima tertia Januarii peracta est  
 Interim vero Botskaius medicamentis  
 nihil proficientibus die vigesima secu  
 da Decembris secundo Principatus  
 anno Cassoviæ decessit, ante mortem  
 suam palam professus, libenter se mori  
 riturum, dummodo obtenta Dei gratia  
 sese de seditione coram toto Romano  
 Imperio excusare, sibi liceret. Habe  
 bantur primum die secunda Februarii  
 anni sequentis solemnes exequiæ: al  
 tera autem die cadaver ejus Albam Ju  
 liam translatum est. Mortuo hoc Prin  
 cipe nequaquam Hungarorum Prote  
 stantium contentio cum Cæsare & Au  
 striaca Domo, utpote Catholica, quie  
 vit; quamvis enim juratis etiam pacis  
 conventum esset, quod universum Da  
 ciæ jus, Botskaio sine prole mascula de  
 cedente, in Cæsaris manus fide integre  
 reverteretur, nihilominus ferocior he  
 reticorum factio suorum multitudinis  
 insolens contra jus fasque inconsulte  
 nec conscio Cæsare Sigismundum Ro  
 gozium, invitum sane, maximaque  
 contentione reluctantem ad capeffenda  
 Daciæ gubernacula rapiebat: Ut ven  
 audacis hujus facti invidiam lenirent  
 speciosis excusationibus, argutiisque  
 Genevensi schola petitis per suos Le  
 gatos

gatos die duodecima Martii Viennam Sæc. XVII. A. C. 1606.  
 decretos exponebant, quod neutiquam  
 a Cæsaris obsequio recedere meditarentur, sed duntaxat quorundam Transylvanorum Procerum, qui huic Principatui inhiarent, molitionibus obviam ire intenderent, de cetero Ragozium velut Cæsaris donum & auspiciam, imo in Ragozio Cæsaris vices, & imaginem sibi propositam spectarent. Verum Ragozium, qui Calvinii sectam, retento tamen quantum in ipso erat, tranquillitatis studio, profitebatur, oppido alienus erat a tentanda, quam hujus sectæ fanaticus inspirat, seditione in legitimum suum Principem, quod etiam luculento comprobabat testimonio, dum se sponte Daciæ Principatu abdicaret, electo in ejus locum Gabriele Bathorio, quamvis Botskaius testamento cavisset, ut hoc diadema in Valentinum Hononaium transferretur.

§. XLI.

*Ingens Romæ tempestas, atque Tiberis exundatio.*

Die vigesima quinta Januarii Romæ tam horrida tempestas imbrium & ventorum exstitit, ut ejus atrocitas sermonem, miseræ gravitas calamum, recordatio ac narratio fidem hu-